

einmal verzehlt 4. III. 1915

Siffert. theol. Vol. 35

~~III-15~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-15.
SIGNAT. CLIXCCCXIII.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

Q. B. V.

AUSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI
DN. FRIDERICI AVGVSTI
ELECTOR SAXON. HEREDIS
ETC. ETC. ETC.

DE

PASTORE
AEGYPTIIS
IN VISO

ex Genes. Cap. XLVI, Commat. 34.

PRAESIDE

M. JO. ADOLPHO MULLERO

Servestano

DISSERTATIONE PHILOLOGICA PRIORI
publice differet

CHRISTIANUS HAUSCHILD

Schneebergens. Phil. et SS. Theol. Cultor

AD DIEM XVI. OCTOBR.

A. R. S. c 13 13CCXV.

VITEMBERGÆ

Typis CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TYP.

AUSPICIS RECTORIS UNIVERSITATIS
MAG. FRIDERICI AUGUSTI
ELECTORIS SAXONIAE
PASTORIS

AEgyptus
INVISIO

PRÆSIDII
M. JO. ADOLPHO MÜLLERO

DISSERTATIONE PHILOLOGICA PRIORI
CHRISTIANUS HAUSSCHILD

AD PUBLICUM USUM
VITIMBERGÆ

Typis Christiani Schröderi, Acad. Typ.



F. N. F.

§. I.



Ulo firmitus, haud raro, ex morum rituumque diuersarum gentium facta inter se diligentius contentione, ad explorandam mutui inter ipsas, uel amoris, uel dissidii, causam arcescitur argumentum, quum uera non sit, nisi propensionum similitudine innixa constanter, animorum coniunctio, usu et consuetudine facile dignoscenda: eo studiosius quoque illud literarum genus, quod ueterum, de rebus tam sacris, quam profanis, monumenta expromit, nobis excutiendum, hoc loco, uidetur, in eo potissimum constitutis, ut, quod peritissimos Antiquitatum Viros, de Aegyptiorum, aduersus pastores, odio argumentum in diuersas traxit sententias, qualicunq; commentatione nostra persequamur, et, quae exitialis huius odii causa sublit uerissimior, conquisitis rationum momentis, pro iuribus, ostendamus. Equidem, quod non diffitemur, tot implicitus hic labor est difficultatibus, ut Celeb. Antiquitatum Instaurator *Georg. Calixtus*, Hist. Joseph. p. 33. nihil fere spei nobis relinquat faciendi alicuius in hoc instituto progressus, *causam*, inquit, *huius abominationis exacte scire non possumus*: perscrutandi tamen conatum, ut collaudatum diuinitus, ita ab sacrarum literarum cultore, uel propterea, requisitum constat, quod, non quid alii, sed, quid ipse, de argumento quodam Biblico, interrogatus existimet, rationibus, nunc explorato ueris, nunc probabilioribus, adducto, sit respondendum. Faciemus igitur, Numine propitio, periculum, et, quae ex germana uocum Hebraicarum indole,

A

colla-

collatis inter se diligenter Versionibus praecipuis, locisque Parallelis, monumentis item Historiae, ad inuestigendam odii illius perantiqui causam, haud incommode possint transferri, ita quidem exponemus, ut, hac ipsa Dissertatione priori, dubias aliorum sententias conuenienter expendamus, probabiliorem uero, quae et nostra est, posteriori suis firmandam rationibus, referuemus.

§. 2. Ac Aegyptios quidem ab Hebraeis, quorum ratio habenda inprimis nobis est, institutis, moribus, ac ritibus, praesertim sacris, plurimum differre, inter omnes conuenit, quibus in mentem uenit ex *Herodoto*, Lib. II. p. 48. Edit. Basil. 1541. *Pompon. Mela* l. i. c. 5. *Plut. archo*, de Isid. et Osir. *Tacito*, Hist. l. V. c. 5. recordari, mollitiem sectatos fuisse eosdem, non solum regionis amoenitate, clementia coeli, ac ubertate agrorum, uerum etiam exemplo maiorum, ad otium desidiamque adeo pellectos, ut sparsum per arua semen, non arando semper, sed fues quandoque imittendo, condiderint: Quanquam de omnibus id uix credamus affirmatum, cum alii testentur, agros limo, ex inundatione Nili obductos, magno labore sementi praeparatos fuisse. Artibus item claruisse sellulariis, nec sacro Codici ignotis, Es. XIX. 9. dato tamen nendi texendique labore, non feminis, more, plerisque gentibus recepto, sed uiris, a quibus ad sequiorem sexum fori usus resque publice gerendae eo translata consilio quibusdam uidentur, ut, commutato sexus officio, Sesostris Imperii sui consuleret diuturnitati, perpetuo uirorum obsequio commodissime firmandi. Elatos praeterea sapientiae, ac uetustatis, fama liquet fuisse, cuius tuendae acerrimum cum antiquissima Scytharum gente certamen iniisse, *Iustino* L. II. c. 1. memorantur, Aegyptiis, conditi, in ipsorum terris, humani generis gloriam auide captantibus, Scythis uero, euictae pluribus

bus argumentis praestantiam originis, strenue afferentibus. In ipsorum sacris, quot religiosi cultus *obiecta*, tot superstitionis turpissima documenta, fuisse, Historiae memoria admonemur. Siue enim, ex *Diodori* fide, lib. I. p. 52. edit. Robert. Steph. ipsa credamus animantia bruta, ut feles, Ichneumopes, Canes, Accipitres, Ibides, Lupos, Crocodilos, et eiusmodi plura, siue, eorum sub imagine, Deum quendam, eiusque in res creatas, potestatem coli consueuisse, quorsum *Porphyrus*, de Abstinent. l. IV. c. 9. et *Plutarchus*, Orat. de Busirid. contendunt: superstitionis tamen, sapientissima ceteroqui gente indignae, culpa non uacant, immortalis quippe Dei cultu, ad imaginem rei terrestri atque caducae, Psalm. CVI. 20. turpiter conuerso. Conf. *Vossius* de Idolatr. Lib. I. c. 3.

§. 3. Secus longe, ac de Hebraeorum familia legimus relatum, quos humilis, ac pastoritia uiuendi conditio, non ad superbiam, sed morum potius simplicitatem, obsequendi studium, animique demissionem inuitabat, utpote a politiorum usu hominum, maximam uitae partem remotos. Ac licet contumaces eos fuisse interdum, non negetur, cum non unum peruicaciae Israelitarum exemplum, sacris proditum literis, reperiatur: nullum tamen, aduersus DEum suum rebellantis, populi uestigium, ante ipsorum in regionem Aegypti descensum, deprehendimus, cuius quippe delictis, ad peruersas demum propensiones, irritabantur. Quod ad Numinis cultum, inter eos solemniter celebratum, nihil, eo tempore, repertum superstitionis Idololatriacae, quando uestigiis insistebant maiorum ac patrum, *Abrahami*, *Isaaci*, *Iacobi*, quos voluntatem suam, colendique sui Circumcisionis federe, posteris quoque eorum, ad natum usque generis humani Liberatorem, per sancte seruando, quo, tanquam

quam gentilitio religionis suae caractere, ab reliquis gentibus distinguerentur. Quae omnia testantur perspicue, Hebraeos ab Aegyptiis, moribus, ac sacris, diuersissimos fuisse.

§. 4. Mirum itaque, nec iniuria, cuiquam poterat uideri, in tanta gentis utriusque dissensione, uarie inter Philologos de causa disceptari grauissimae illius, quam apud Aegyptios incurrebant Hebraei, offensionis. At grauius multo hoc est odium, quam ut ex sola morum dissimilitudine possit deduci, id, quod ex infra dicendis luculentius constabit. Mutila quoque illa, nec satis firmis undiqueque fundamentis innixa, Aegyptiorum Historia omnem fere culpam sustinere, haut immerito, censetur, praesertim, cum parcius hac de re diuiores tradant literae, atque adeo causa agatur, ex antiquissimorum, quot quidem extant, auctorum fide, si a fontium scrutinio contextuque sacro discesseris, maximam partem conficienda. Enimvero duorum praecipue generum scriptores, magnam tamen partem, qua fragmenta tantum, supersunt, a quibus ferenda labori nostro opem expectemus, Aegyptii alii, Monachi ac Sacerdotes, ut *Manetho, Eratosthenes, Chaeremon, Panodorus*, alii, inferioris licet conditionis, *Graeci*, uelut, *Herodotus, Diodorus, Sic. Plutarchus, Strabo*, quibus e Christianis, iungamus, *Jul. Africanum, Eusebium, Caesarens. Georg. Syncellum*. Utrum utro fide et auctoritate plus ualeat, non idem ab omnibus fertur iudicium. *Vossio* de Art. Hist. c. IX. pag. 47. *Vittio* item Aegyptiac. l. II. c. 4. §. 22. *Stillingsfleetio*, Orig. Sacr. l. I. c. 4. iam pridem legimus observatum, pleraque de Aegyptiis nobis cognita, ex Graecorum hauriri fontibus, credulitatis, ac nimiae aduersus hanc gentem observantiae, uitio corruptis: fieri inde aliter non potuisse, quin ueris interdum ficta interiecta fuerint, cauto tantum lectori, atque ad rem praesentem

tem attento, dignoscenda. Aegyptiis igitur plus tribuit
Ioseph. Scaliger, Can. Isagog. Lib. III. p. 279. utpote rerum
suarum peritissimis testibus, nec temere, in hoc instituto,
deferendis. Quae quidem laudis praestantia ipsis relin-
quenda foret, nisi arrogantius interdum, quam uerius, mul-
ta tradidissent. Graecos itaque, qua fide digniores sunt, uoca-
bimus nos in partes, nec Iudaeos Latinosque praetermittemus
omnino, sicubi, praesidii quidquam argumento nostro affer-
re posse, uidebuntur. Hinc mirabitur nemo, alios aliter de
illius, quod in disceptationem hic venit, odii causa sentire
interpretes, modo, in quem quis sententiae suae auctorem
inciderit, diligenter secum recogiter. Ita illorum senten-
tia dudum explosa est, qui huius rei causam sese reperisse
putarunt, si *Cypriano*, nescio cui, de Nativit. Christ. assenti-
antur, narranti, Aegyptios execratos fuisse pastores, et ab-
ominatos oues atque pecora. Eiusmodi enim *Cypriani*
scriptum, cum ne exiterit quidem, ut *Cocus*, Censur. Patr.
p. 141. *Rinet. Critic. S. Lib. II. c. 15.* testantur, frustra adducunt,
utpote, cum fide Historica, tum necessario cum S. literis con-
sensu, prorsus destitutum. Quamobrem eorum tantum
exquiremus, in praesenti, sententias, quae momentum suum,
uel ex Historia, uel ex Idiomatico contextuque authentico
trahunt, dispari quamuis, et successu, et euentu.

§. 5. Initio quidem, illorum opinionem prudentiorum
subiectam uolumus iudicio, qui Aegyptiorum, aduersus pe-
corum pastores odium, a consuetudine quadam eius gen-
tis, reperunt, qua, ab omni animalium esu, prorsus abstinue-
runt, cum tamen, de aduenis Hebraeis, fama iam constite-
rit, animalia ipsos non mactasse tantum, uerum etiam, ali-
menti loco, usurpasse. Huc ea pertinent, quae, ex Iudae-
orum magistris, *Aben Esra* tradit, ad Gen. XLVI. 34.

לאות כי בימים ההם לא היו המצרים אוכלים בשר ולא
יעזב ארם שינכה צאן כאשר יעשו היום אנשי הורו ומי שחו
רועה צאן תועבה היא שהיא שותה החלב ואנשי הורו לא
יאכלו ולא ישחו כל אשר יצא מתי מרגיש עד היום הורו:

*Manifesto indicio, temporibus istis Aegyptios non comedisse
carnem, neque toleratum quenquam fuisse, qui immolat pec-
udem, quemadmodum faciunt hodieque Indi. Atque is ipse, qui
pascit pecudem, abominatio est, quia bibit lac. Indi enim
neque edunt, neque bibunt quidquam, ab animali sentien-
te ortum, ad hunc usque diem. Idem ad Exod. c. VIII. 26. et
consentientem adducit R. Jeshuam, et copiosius, hac ipsa de
re quid sentiat, exponit. De multis puca sequantur:
ועד היום לא יניחו ארם שיאכל בשר בארצם ואם אחר
מהמיבא בארץ נכריה יברח מכל מקום שיאכלו בו אוכל בשר
ולא יאכל כל רכב שיגע בו אוכל בשר וכליו טמאים בעיניהם
*Neque ad hunc usque diem tolerant quenquam, qui uestitur
carne in terra ipsorum, et, si quis illorum uenerit in terram
peregrinam, refugit ex omni loco, quo carne uestuntur. Ne-
que comedit (peregrinatus) quidquam, quod contrectarit ue-
scens carne, et uasa eius impura sunt in oculis ipsorum. In-
ter Christianos Interpretes non desunt, qui idem se sentire,
aperte profitentur. Ut enim Munsterum, Fagium, Clari-
um, Cortbörigum, Mercerum, Schindlerum, praetereamus,
Grotii tantum uerba afferemus in medium, qui ad hunc lo-
cum ita commentatur: Nimirum, quia pastores pecori uitam
adimebant, et carne uestebantur. Et paulo post: Abstinen-
tiam ab esu animalium ruris non miror. Pecora enim et
Aegyptii illi habebant quidem, sed lanae, et lactis causa.**

§. 6. Equidem negari non potest, diuersae ditionis
Aegyptios diuersum quoque animantium comedendorum
habuisse delectum, eundemque, referente *Herodoto*, *Euterp.*
Diodoro, lib. I. p. 56. priscae legis auctoritate, sancitum. Sa-
gacioris enim Reges consilii, cognita quondam ciuium suo-
rum

rum ad seditiones procliuitate, pluribus Aegyptum ditionibus distinxisse, quaeque animalia separatim colerent, a quibusue cibis abstinerent, fanciuisse edicto, ne uno omnes publici cultus modo inter se deuincti, aduersum Reges arma ferrent, ac minori contra res foret periculo, ubi alii alios, ob diuerforum animalium cultum, auersati, clandestina iniri consilia difficilius possent. Hinc, ut apud *Strabonem* est, lib. XVII. p. 770. edit. Basil. 1549: Ἄλλα δὲ ἔστιν, ἀ τιμῶσι καὶ ἐαυτὸν ἕκαστοι, καθάπερ σαῖται προβαῖον καὶ θηβαῖται, λατοπολίται. λατοὺς δὲ τὸν ἐν τῷ νεύῳ τινὰ ἰχθυὸν, λατοπολίται, λύκον δὲ λυκοπολίται, κυνοκέφαλον δὲ εμοπολίται, κείπον δὲ βαβυλωνίαι, καὶ μέμφιν. ἔστι δὲ ὁ κείπον, τὸ μὲν πρόσωπον, ἐκὼς σατίρω, τ' ἄλλα δὲ, κυνὸς καὶ ἀρκυὸς μετὰξὺ, γενεῶν δὲ ἐν Αἰθιοπία. αἰετὸν δὲ θηβαῖται, λέοντα δὲ λεοτοπολίται, αἴγα δὲ χύλα γον. Μενόησιοι, μυγᾶλην δὲ ἀθριβίται. ἄλλοι δὲ ἄλλο τι. Adeatur Voss. de Idololatr. lib. III. c. 74, qui horum animalium et nomina, et naturam quodammodo, interpretatur. Qua re factum, ut cuiusque praefecturae homines ab animalis, quod ipsis sacrum erat, esu religiose abstinerent, omnium uero, quae modo cunque fuerint, animalium carnes, nutriendo corpori ceteroqui capi solitas, abhorruisse, ea demum Rabbīnorum coniectura est, praeter omnem Historiae illorum temporum consensum, ostensamue a scriptore diuino ita arguendi causam, arcescita. De maioribus quidem suis *Plato* refert Lib. VI. de Leg. carnibus eos abstinuisse, priscosque mortalium, apud *Porphyr.* de Abstinēt. l. 3. Dicaearchus tradit, nullum animal occidisse, quod de Indorum quibusdam uel ipse fatetur *Herodot.* Thal. p. 104. Ἄλλοι δὲ τῶν ἰνδῶν πρὸς τῶ οἰκόντης τῶν, νομᾶ δὲ εἰσι, κρεῶν ἐδεσᾶ ὤμων, licet paulo post, alios moneat nullum animal interficere: de Aegyptiis tamen ut aliter multo statuamus, si nullo alio, unius certe parentis Historicorum, poterimus adduci testimonio, qui non modo ritus mactandi, uerum etiam carniū, quibus Aegyptiorum cum uulgus, tum Sacerdotes uesciebantur, genera, pro ratione cultus, ditioni cuilibet obseruata, exponit. Ac generatim qui-

quidem, Mendefios ait, Euterp. pag. 53. cum capris abstineant, oues, alios, tempore licet diverso, sues, quas alioquin abhorreant maxime, immolare, suillaque carne uesci. De Sacerdotum vero beneficiis ubi exponit, conceptis uerbis, *σντία σφι*, inquit, *ἔστι ἰσὰ πρσσομένα, κ, χηνέων, βοέων κρεών πλῆθος* τι ἐκάστω γίνεσθαι πολλόν, ἐκάστης ἡμέρης. *ibid.* conf. *Diodorus* Lib. I. pag. 28. Neque certe nulla huius rei uestigia in Codice S. apparent. Mandato enim Josephi, Gen. XLIII, 16.

מכתה טכה ודכו כי אתי ואכלו האנשי בצרתך : *macta* : *pecus aliquod pingue, et instrue conuiuium, quoniam uiri isti hodie mecum sunt pransuri*, dum obtemperat oeconomus Pro-Regi suo, una cum fratribus eius, nondum cognitis, ac reliquis Administris Regiis cibo parato, colligendi nobis causam praeber, Aegyptios ab esu carniū minime abhorruisse. Unde potest intelligi, Historiae auctoritatem prorsus negligi illorū sententia, qui Aegyptios idcirco pastores pecorum abominatos fuisse credunt, quod animalia mactare, eorumque carnibus uesci, quocumque tempore ac modo id fiat, nefas esse censuerint. *Ceterum de Esu carniū conf. Petr. Castellan. Lib. I. apud Gronov. Thes. Antiquit. Gr. Vol. XI.*

S. 7. Quae cum ita sint, ad dissimilitudinem morum, speciatim ad superbiam fastidiumq; exterorū, alii se recipiunt, quo nō modo, conditi, in ipsorum terris, generis humani, uerum etiam repertae omnis sapientiae, gloriam expetebant, peregrinorum usu, et consuetudine, tanta fastidii insolentia euitatis, ut temporibus antiquissimis, neque suis ad hos exeundi, neque istis ad se accedendi, fecerint potestatem, usque dum sublata, quem laudat *Isocrates*, *Busiridis* Lege, *Amasis* demum, Rex, capiendi e commercii Graecorum lucri spe inductus, ultro citroque commeandi libertatem ciuibus suis indulsērīt. *conf. Herodot.* Euterp. sub fin. Et quanquam illa peruersi moris ratio, et arrogantiae crimen, recentiorum Aegyptiis temporum uideatur tantum attribui, quando natio uentosa et insolens, a

Pli.

Plinio Paneg. c. 31. uiri ventosi et iactantes, a Flav. Vopisco. Saturnin. ad nequitiam ingeniosissimi, a Philone, contr. Flacc. p. 971. appellantur: antiquiores tamen, huius regionis incolae, eodem uitio laborasse ex Esai. c. XIX. II. XXX. 7. luculenter patet. Ab his autem cum Hebraei, humili uitae genere, quam maxime fuerint diversi, nihil quidam dubitant quin, uel ex sola hac morum dissimilitudine, speciatim superbia, fastidioque exterorum, maximi illius, aduersus pastores Hebraeos odii ratio uerissima possit reddi. Existimant ita, praeter Pierium, Hieroglyphic. Lib. X. fol. 74. Selaeccerum, Rupertum, Lyrum, Tirinum, Varenium, Decad. Loc. VI. Pellicanum, Rauanellum, Bibliothec. Bibl. Seb. Schmidium, h. l. Philonem, Lib. in Flacc. p. 969. alios Cynaeus, de Rep. Hebr. lib. I. c. 5. qui praefidenter admodum, haec una res inquit ab omni acuo pastoribus infestis Aegyptios fecit, quod uires eorum, uegetosque et acres spiritus homines sedentarii opificesque non ferrent. Sed, utrum ad huius arbitrium iudiciumque, controuersia possit omnis componi, paucis expendemus.

§. 8. Plurimum sane, quod constat, in conciliandis pariter, ac auocandis hominum studiis, ualent mores, uel probati, uel inuisi, quando indolis humanae ita fert conditio, ut, nisi cum simili, et, ad idem moliendum, a natura excitato, non sit coniungi. Dubium tamen non est, quin animorum, ex sola diuersi moris consuetudine, dissensio tanta uix existat, ut in capitale odium degeneret, quo quis incensus alterum ne oculis quidem ferre, nedum una cum eo uiuere diutius, possit. Contrarium sane, si ad nostra tempora respiciamus, Turcarum uel Persarum, et Christianorum hominum, moribus inter se diuersissimorum, commercia, transactiones, ultro citroque, per legatos, facta itinera; ex antiquioris aevi Historia, Aegyptiorum et Madianitarum exempla, perspicue testantur. Nihil nostrae sententiae obsunt *pastorum uires, acresque et uegeti spiritus*, quos Cynaeus affert, cum et pu-

gnatores, Calasiries, ac Homotybies uiribus, praeter ceteros ualuerint, magno nihilominus honore inter Aegyptios affecti, vid. *Herodot.* Euterp. Quin potius, ubi ad se accesserant fratres Iosephi, ex illis iubet ipse Pharaon deligi, qui sint ^{הַיְיִטִּי} אֲנָשֵׁי הַיִּלְיִי robre praestantes, dignique adeo, ut pecoribus ipsius praeficiantur. Nec Hebraeorum mores Aegyptiis tantopere fuisse aduersos, ut eosdem tolerare nulla ratione potuerint, exequiarum comitatus nos docet, quo Iacobi, Patriarchae, funus, non modo ab Iosephi fratribus, uerum ab Aegyptiis quoque permultis, in terram Chanaan deducebatur, solempni LXX. dierum planctu cohonestatum: exemplo ad memoriam insigni, implacabilis illius, de quo disputamus, odii causam, in dissimilitudine morum haut quaerendam esse. Minime huic argumento Iosephi obstat auctoritas, qua forte adducti supremum hoc fecerint officium. Quia enim, ne ipsius quidem Pharaonis, absoluti tamen ueluti Monarchae, auctoritate, quidquam mouerentur, si ab Hebraeis id fieret in regionibus Aegyptiorum, quod hi tantopere abominabantur, sed lapidibus omnes erant obruturi, si uel maxime ab summo Imperante fuisset concessum, vid. Exod. VIII. 25: eos credibile non est, Pro-Regis auctoritate a proposito auocari aut deterreri potuisse, siquidem Hebraei, quibuscum itineris ac dolorum societate iungebantur, mores, usus et ratio uiuendi, veram abominationis causam praebuissent. Sua itaque sponte cum id praestiterint, ab Hebraeorum moribus adeo non abhorruisse Aegyptios, satis elucet.

§. 9. Fuerit praeterea tanta in Aegyptiorum animis e-latio, ut homines plebeios, in iisque certi ordinis pastores, tanquam uile ac sordidum genus prae se despexerint, siue, ut *Philo* de Agricult. p. 96. ait, *ὡς χλευὴν καὶ πλατὺν, γέλωτα ἠγαῖσθαι τὰς τῶν δημοσιωμάτων ἀνθρώπων περὶ βίαν σπευδᾶς τε καὶ φιλοσημίας* nullo tamen cum studio nocendi, nedum e medio eos tollendi fuit coniuncta, sed molliorem opulentorum prodit ac de-
lic-

licias, quibus dummodo frui ipsis licebat, reliqua susque deque habebant. Unde nusquam legimus memoriae proditum, de uariis illis Aegyptiorum ordinibus, sacerdotes cum pugnatoribus, pugnatores cum pastoribus, aliosque cum aliis, ob differentiam morum ac institutorum, armis decertasse, quod reuera, ob diuersa diuersarum ditionum sacra, euenisse, *Diodorus* lib. I. *Dio* lib. XLII. *Athanas.* aduers. Gent. *Casaubonus* ad *Spartian.* in *Adrian.* obseruarunt. Utrum itaque haec ipsa superbia ac plebis contentio quaesito nostro, ad liquidum perducendo, sufficiat, aliorum, quam nostro, intelligi malumus iudicio. De fastidio exterorum, iisque superstitiosius negato aditu, non est, cur multa in partem afferamus contrariam, quando, neque ante Hebraeorum, in regionem Aegypti, descensum, neque deinceps, tempore *Iosephi*, Aegyptiorum Pro-Regis, id ipsum fuisse, cum Abrahami, in annonae caritate ad Aegyptios confugium, Gen. c. XII. 10, tum uero Madianitarum ac *Ima-elitarū* frequentata cum iisdem commercia, satis demonstrant. Si enim religiosa quaedam hanc Chami posteritatem formido incesserat, ne ipsorum sanctitas morum, peregrinorum usque et consuetudine, corrumperetur, in sacrum quoque gentis huius Zelum conueniebat, hos tales, moribus ac sacris maxime iustior attrahendae corruptelae erat metus. Vid. *Hotting.* *Hist. Orient.* l. I, cap. V. Quid? quod nec *Iosephus*, praefertim ortu suo cognitus, erat, uel recipiendus, uel tolerandus, nedum ad egregium statim, inter seruos *Potipharis*, munus euehendus, si quidem auito quodam odio Hebraei iam tum laborassent. Quamobrem haec omnia, diligentius expensa, sententiam hanc nobis persuaderi non patiuntur, ut ex sola morum dissimilitudine, primum odii, de quo disputamus, momentum trahi, arbitremur.

§. 10. Cognita igitur posthabitaque, quae a morum dissimilitudine, petebatur quaesiti nostri causa, illorum nunc ex-

pendere iuuat sententiam, qui tumultum aliquem deprehendisse sibi uidentur pastorum, e Phoenicia, uel, ut alii malunt, ex Arabia in Ægyptum tanto furoris impetu, quondam irruentiū, ut uastatis agris, permultas urbes uicosque incendio delerent, spoliata Deorū templa diruerent, et, incolarum aliis interfectis, aliis durissimo seruitutis iugo oppressis, nihil non immanitatis grauisimæ admitterent. Quae ne fingi uideantur, sententiae huius asseclae ad Manethonem quendā Ægyptium prouocant communiter, ortu Sebennitam, munere uero Sacerdotem, Heliopolitarum sacris praefectum, cuius Historiae Ægyptiacae fragmenta a *Josepho* Lib. I. contra Apion. conseruantur. Ipsius autē uerba huc referenda, ita habent: *Ἐγένετο βασιλεὺς ἡμῶν, τῆμασ ἡμα, ἐπὶ τῆς, ἐκ οὐδ', ὅπως ὁ Θεὸς ἀντέπνευσε, καὶ παραδόξως, ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν, ἀνδρωποι, τὸ γένος ἄσημοι, κατασχέσαντες, ἐπὶ τὴν χώραν ἀνεστράτευσαν, καὶ βαδίας, ἀμαχητὶ κατὰ κράτος ἔϊλαν, κ. τ. λ.* Atque huius memoria irruptionis cum temporibus illis nondum oblitterata fuerit, submonuisse fratres *Josephum* existimant, ne habitandi locum a Pharaone petant, undiquaque cinctum Ægyptiis, ubi securitati suae, ac recipiendi sese in terram Chanaan facultati, perpetuo sit metuendum, uel, prorsus desperandum. Versantur in hac sententia *Illustr. Scaliger*, *Animauerf. ad Euseb. Chron. p. 18.* *Bochartus*, *Chan. l. I. c. 4.* *Marshamus*, *Can. Chron. Sec. VII.* *Calixtus*, *Hist. Joseph. p. 46.* *B. Caluinus* *Comment. ad h. l.* hoc modo, rati, omnem tolli difficultatem commodissime posse.

§. II. At enim Manethonis auctoritatem, in qua omne commemoratae irruptionis fundamentum innititur, si contemplerur accuratius, tanti quidem eruditus non uidetur facienda, ut in eadem rerum Ægyptiacarum cupidus acquiescere tuto possit. Hic enim *Philadelphus*, Regis, obtemperaturus mandato, labefactam, §. Codicis euolutione, gentis suae antiquitatem et praestantiam strenue asserturus, scriinia uetustissima excusit, atque innumerabilium seculorum obseruationes

nes, quas, in Sacerdotum commentariis, multo ante cognouerat Pythagoras, teste *Valer. Max.* l. 8. c. 7. magno conquisitas labore, ita digessit, ut opere in tres Tomos diuiso, omnes res Aegyptiacas, Graeco, quo Hermetem *Trismegistum*, conscripsisse iactat, idiomatici relictas, complecteretur, numeratis ab initio imperii Aegyptiaci ad Alexandri M. usque tempora, Dynastiis XXX. harumque, omnium et singularum, annis. 535. vid. *SynceLL.* p. 49. *Scaliger* Can. *Itag.* l. 2, p. 128. Tantam utrique summam eos conficere decebat, qui antiquitatis gloria reliquis mortalium anteferri quoquo modo cupiebant. Falsi igitur eundem grauer accuset *SynceLLus*, dum pag. 18, *ψευδογράφος* appellat, ac scripta eius, tanquam plena mendacii, et, ad imitationem *Berosi* conficta, asserit. *Scaligero* tamen, tantum abest, ut suspectus uideatur *Manetho*, ut potius aegre ferat, *Eusebium* pariter, ac *Josephum*, ipsius auctoritatem uocare in dubium, quando, quae ille, de pastoribus, bello captis, tradiderit, hi, ad pastores Ebraeos, miro quodam studio, transferant. *Scaligerum* sequitur *Job. Gerb. Vossius*, de Art. Hist. qui duplicem, conciliandi Antiquitates Aegyptiacas cum S. literis, in rationem, quarum altera, adhibita annorum, in Solares et Lunares, hosque, uel uulgares, uel magnos, distinctione, uulgares, siue, menstruos, *Panodori* exemplo, apud *SynceLL.* p. 41. ad rationes *Manethonis*, accommodat, altera uero Dynastias interpretatur, non successiuas, sed collaterales, quas *Marshamus* quoque *Can. Chron.* p. 17. sq. usu ipso, probat. At, nec *Eusebii*, nec *Josephi* conatus, cum originibus sacris accomodentur, tantopere erant improbandi. Illud enim dubitari uix potest, Aegyptios, quotquot, ab exitu Israelitarum, Historiam gentis suae composuerint, ubi ad tempora *Josephi*, ac gentis Hebraeae, inter ipsos, CCXV annos uersatae, ventum fuerit, per inuidiam alienae gloriae, *Exod.* l. 8. 9. alia omnia finxisse, si praesertim, immixtas ab Hebraeorum Deo, plagas memi-

nerint. Cum itaque Hebraei fuerint pastores, atque ἐν τῶν
πρῶτος ἀνατολῆν μερῶν, ut habet *Manetho*, accefferint, nec modo
Iosephus aliquandiu, uerum, mortuo eodem, omnes quoque
Israelitae, captiuorum loco fuerint habiti, postea uero A Egy-
pto egressi, facti, per Arabiam desertam, itinere, in Judaeam
delati, Hierosolymam urbem condiderint, ibidemque sede fixa
habitaerint: quid obstat, quo minus, *Manethonis* de pastori-
bus historiam, ad Hebraeos ab *Iosepho* rectissime accommo-
dari, cum *Grotio*, de Verit. Relig. Christ. Lib. I. §. 16. *VVittsio*,
Aegyptiac. lib. III, c. 3. §. 5. sqq. *Leidekkeri*, de Rep. Hebr. lib. III,
c. 4. *Jac. Perizonio*, Aegyptiac. Orig. Inuestig. c. XIX. arbi-
tremur? Quod ad annos illos uulgares, siue, menstruos atti-
ner, quibus usus sit *Manetho*, uereor equidem, ut hi, neque cum
recepta Aegyptiis anni, ex motu solis annuo, in XII. menses
distribuendi, ratione, quam nobis demonstrat *Herodot.* l. c.
neque cum ultimae antiquitatis gloria, tanto semper studio
Aegyptiis quaesita, ac per *Manethonem* denuo afferenda, con-
ueniant. Accedit, quod praecipuum est, ipsum Sebennitam
Dynastias, non Collaterales, sed, unam alteri, succedentes
constituere, numerumque adeo omnium, quibus quaeque
floruerit, annorum tandem subiicere, prout euidenter osten-
dit *Syncellus*, Chronogr. p. 52. Nec illae, quas, uno tempore fuisse,
contendunt Viri modo laudati, Dynastiae ad Hebraeorum in
Aegyptum descensus tempora poterunt accommodari, quan-
do, suo unius nomine, ciuibus Aegyptiis imperabat Pharaos, ut
undiquaque, in recens extracta horrea, frumentum compor-
taretur. Quod utique credibile non est, sine maximis turbis,
et conflatis inter ipsos Reges bellis, fieri potuisse, de quibus
autem nihil legimus in Contextu S. relatum. Si qua tamen fi-
des *Manethonis*, de pastorum in fines Aegyptios irruptione,
narrationi habenda fuerit, ad novi illius aetatem Regis, qui
nihil de Iosepho nouerat, referenda *Jo. Clerico* Comment. in
Exod. nec forsan inepte, uidetur. Num uero pastores, Hebraei
Aegy-

AEgyptiis propterea fuerint iniusi, quod, multis post temporibus, his bellum intulerint pastores illi famosi, id tum demum dubitari coeperit, cum Effectum suae praecedere causae, ostenderetur. Quotquot igitur ortae inter pastores seditionis ac turbae, ex *Heliodoro*, Athiop. l. I. p. II. *Pausania* Lib. IV. *Livio*, l. I. c. 40. *Hieronymo*, in Vir. Hilar. aliisque afferantur exempla, illam Hebraeorum, ac Iosephi aetatem adeo non assequi uidentur, ut multorum intervallo seculorum eadem posteriora deprehendamus. Quantum igitur illo, quem hactenus, pro ratione instituti, explorauimus, pastorum tumultu, in Idemonstranda odii aduersus pastores causa, efficiatur, luculenter, credimus, fuit explanatum.

§. 12. Quarta iam sequitur, eademque singularis, ac superioribus aduersa prorsus, eorum sententia, qui תועבה non de odio et abominatione, ex omnium fere interpretum sententia, sed, de ueneratione quadam et cultus praestantia, interpretantur. Horum in numero *Andr. Mullerus* est, qui *Glossar. Hebr.* p. 108. et III. existimat, AEgyptios non pecus, sed DEum in cognitum Act. XVII, 23. sub specie pecorum coluisse, eaque de re Rom. I, 23. agi. Tum obseruasse sibi uideretur accuratius phrasin illam, qua Moses non imagines pecorum sacrorum, sed ipsa pecora Numinis uocabulo compellet. Porro, scopum Iosepho propositum, patrem uidelicet, eiusque familiam Pharaoni commendandi, hanc uerborum sententiam postulare, quum, si abominationi erant AEgyptiis pecorum pastores, imprudenter admodum ipse facturas fuisset consilio fratres instruens, pastoritium, quod agebant, uitae genus libere profitendi. Regem denique, si uera sit, recepta hucdum, interpretatio, Iosepho minime mandaturum fuisse, ut ex fratribus, qui sibi uiderentur, pecori Regio praeficeret, gratiam ac honorem, non odium aut abominationem, abunde testatus. Tandem ad nomen prouocat AEgyptiacum, quo Reges suos *נְסֻסִים*, pastores, appellarint. Quibus ille ratio

tionibus commotus; existimat, Pastores ouium apud
 AEgyptios, quasi Numina, quae Hebraeis abominationi
 erant, fuisse. Viam huic interpretationi monstravit
 forsitan, ex Judaeorum magistris, Raschi, ad Exod. c. VIII, 26.
 וראת מצרים כמו ולמכם הועבת כני עטון
 ונצל ישראל קורא אותה הועבת עור יש לומר בלשון
 אחר הועבת מצרים שנאוי הוה למצרים זכרון
 שאנו זוכחים שהרי וראתם אנו זוכחים:

Significat timorem Aegyptiorum, quemadmodum etiam Milcom
 dicitur ueneratio fuisse Ammonitarum. Nam apud Israelitas
 uocatur illa res תועבה. Porro dicendum, alia notione,
 הועבה AEgyptiorum esse rem AEgyptiis exosam, sacrificatio-
 nem uidelicet, qua nos sacrificamus. Nam ecce timorem (Nu-
 men) illorum nos sacrificamus. Conf. Abarbane! Comment. in
 Leg. fol. 95. b. Idem et Celeb. Philologus Cocceius, sentire uide-
 tur. OO. T. I, ad Exod. VIII, 26.

§. 13. Magnam certe, quod ἀνοψία docet, ueri speciem haec
 habet sententia, ac parum abfuit, quin & nos ipsos ad assentien-
 dum impelleret, nisi, quæ sequuntur, assensionem cohiberent.
 Initio quidem largiamur, ad alios quoque antiquissimorum
 temporum, adeoque et AEgyptios, respexisse D. Paulum, non-
 dum tamen allata huius gentis obtinebitur excusatio, eos non
 imagines ipsas, sed Deum incognitum, sub imaginibus aut ani-
 mantibus sacris adorasse, cum idem subiungat Apostolus, com-
 mat. 25. ἡ εἰσεβάδθησαν, ἡ ἐλάτρευσαν τῆς εἰσε, παρὰ τὸν εἰσαντα,
 i.e. interprete Hilario Lib. XII. de Trinit. praeterito creatore co-
 luerunt creaturam. Conceptis enim uerbis Pompon. Mela Lib. I.
 c. 9. effigies, inquit, multorum animalium colunt AEgyptii, atque
 ipsa magis animalia. vid. Diod. lib. I. p. 58. Joseph. l. I. cont. Api-
 on. Nec Athenienses, utut ex aris quandam DEo in cognito in-
 scripserant, idololatriæ culpa uocabant, utpote qui complures
 Deos religiose uenerabantur, commemorante Pottero Archæo-
 log. Græc. Lib. II. c. 2. Deinceps, ad illa si progrediamur, quibus e-
 lici-


citur uocem, cui plerique huc dum interpretes *auerfandi abomi-*
nandique notionem tribuerunt, *colendi* potius ac *uenerandi*, hoc
loco, uim obtinere, primum quidem, eiusdem et origo, et usus in
Scriptura S. quoad quidem nobis constat, perpetuus, huic senten-
tiae repugnant. De loco Mosaiico, Exod. VIII, 26. non admodum
refragamur, reddi uocabulum *חֵרֶב*, citra veri iacturam sensus,
per *Numina*, posse, quia de pecoribus ipsis adhibetur, religioso
cultu celebratis. Utrum uero eadem nostri, quod perscruta-
mur, dicti sit ratio, dubitari facile potest. Superiori enim illo,
ad animalia respici consecrata, nemo negat: posteriori uero lo-
co, hominibus tribui, inter Aegyptios nusquam tanti factis, e su-
pra dictis, apparet. Quae enim ex pastura pecorum ab Aegy-
ptiis, in DEorum numerum relatorum, ducitur coniectura, prae-
cipuo quodam honore fuisse, iis temporibus, ouium pastores, nul-
lo, quod quidem reperire potuerimus, Historiae monumento se-
se tuetur. Certum est, non modo oves, sed boues quoque fe-
minas, inter Aegyptios religiose cultas, et utriusque clasfis ani-
malia, a promiscuo incolarum coetu, Gen. XLVII, 17. uictus quae-
rendi causa, ali solita fuisse. Neque tamen non legimus, eos, qui,
inopia pressi rei frumentariae, modo pecuniam et opes, modo pe-
cora sua, ut cibum acciperent, Iosepho obtulerunt, eodem loco ac
honore habitos, eadem pariter mansuetudine exceptos ac dimis-
sos fuisse, atque ceteros, qui *boues, ovesque*, animalia illa consecrata
offerebant. Quod minime futurum erat, si, qui *boues, ovesque*, cete-
roqui pro sacris habita animalia, obtulerant, uel solo hoc nomine,
quod aluerant, sacro quodam immunitatis honore ceteris praefiti-
tissent. Ne quid de eo addamus, subulcos, licet pecus curauerint,
Lunae Liberoq; sacrum, ac, per tempus plenilunii, solemnii ritu im-
molandum, tantopere tamen ceteris Aegyptiis fuisse exosos, atque
infames, ut horum nemini quis filiam suam daret nuptum, aut fili-
um, ex ipsorum familia, uxorem ducere pateretur. Constat igitur,
quam firma sit ab ouium, uel qualiscunq; sacri animantis honore,
ad praestantiam pastoris colligendi ratio.

Sebines mabre pibicis in: S. 14. Pa.

* * *

§. 14. Pari modo et illud inde conficietur, consilium, quo fratres instruebat Iosephus, eo non pertinuisse, ut Regis erga se, tanquam sanctioris homines ordinis, amorem et obseruantiam, sed misericordiam potius, despiciatæ afflictæque genti conciliarent. Rex enim, qua erat gratia in Iosephum, petitis eius annuebat iubens, quibusque de causis id faceret, uerbis, mansuetudine plenissimis, omisso uitæ genere, hoc modo declarabat: *Pater tuus*, inquit, *& fratres tui uenerunt ad te. Tota Aegyptus est in conspectu tuo, fac eos habitare in optimo loco, et trade eis terram Gosen.* Idem, ex Iosephi fide ingenioque fratres metitus, si quos eorum nosset idoneos, ut pecoribus suis præficeret, mandabat clementer. Nihil, hoc loco, pastorum honori aut præstantiæ, sed omnia, quæ Iosepho cum illis intercedebat, necessitudini, eiusdemque, in administrando imperio, prudentiæ ac felicitati, dabat Pharaon, innuens haut obscure, nisi pater et fratres essent Pro-Regis, tanta eos mansuetudine animique propensione sese excepturum non fuisse. Utrum denique ex nomine *ἰουδæ*, quod assertur, præstantiæ ac dignitatis documentum colligi possit, non est, cur operosius inquiramus; quando, contumeliæ, non honoris, fuisse uocabulum, pastoribus, qui Aegyptum uastarint, impositum, *Marshamus* aliique restantur. De uerbis *Raschi* nihi addimus, cum commo dior postea eadem expendendi fuerit locus. Suffecerit interim, illa dubitandi argumenta proposuisse, quæ quidem nobis, quo minus sententiam, modo expositam, amplectamur, obseruat.

§. 15. Supererant nobis excutendæ, quinta et sexta, sententiæ, quarum prior, auctore *Lichifooto*, Nott. ad Gen. c. XII. p. 156. legem aliquam ac mandatum Pharaonis urget, eo tempore promulgatū, quo, ob domum ductam Abrahami coniugem, grauisissim Rex plagis erat a Deo affectus; posterior uero *Laurentii Pignorii*, de Characterib. Aegypt. fol. 11. col. b. edit. Franci. 1608. nixa testimonio, lanae, tanquam signisissimorum corporum excrementi, odium, causæ loco astitit alienatæ ab Hebræis Egyptiæ propensionis. Sed de utriusq; fundamento cum nullo negotio dubitari queat, chartæq; nos prohibeamur angustiis, quo minus copiosius de his exponamus, limatori peritæ lectoris iudicio, eadem perinde, ut superiores, relictæ sunt.



Aug VI 15




Sb.

Reho
VD 17
KD 18 1







69

72.

L. B. V.

AUSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI

DN. FRIDERICI AVGVSTI

ELECTOR SAXON. HEREDIS

ETC. ETC. ETC.

DE

PASTORE

AEGYPTIIS

IN VISO

ex Genes. Cap. XLVI, Commat. 34.

PRAESIDE

M. JO. ADOLPHO MULLERO

Servestano

DISSERTATIONE PHILOLOGICA PRIORI

publice differet

CHRISTIANUS HAUSCHILD

Schneebergens. Phil. et SS. Theol. Cultor

AD DIEM XVI. OCTOBR.

A. R. S. c1s 1sCCXV.

VITEMBERGÆ

Typis CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TYP.

